

erat passibile, et sensus læsionis non defuit, quia anima Christi perfecte habuit potentias naturales; habuit ergo sensum læsionis; ergo et dolorem.

In sexto inquit, utrum in Christo fuerit tristitia. Conclusio est affirmativa; tum ex illo Matthæi xxvi: *Tristis est anima mea usque ad mortem*: et Ambrosius inquit: « Ut homo tristitiam habuit; » tum, quia objectum, seu motivum tristitiæ est nocivum, seu malum interius apprehensum, sive per rationem, sive per imaginationem, sed anima Christi potuit interius apprehendere aliquid ut nocivum quantum ad se, sicut fuit passio, et mors ejus; quantum ad alios, sicut peccatum discipulorum, et occidentium ipsum; ergo fuit in Christo tristitia sicut et dolor, aliter tamen quam in nobis, secundum tria assignata articulo quarto.

In septimo inquit si in Christo fuit timor. Conclusio est affirmativa, quam probat ex illo Matthæi xiv: *Cæpit Jesus pavere, et tædere*, sed in corpore distinguit timorem duplici modo; uno quantum ad hoc, quod appetitus sensitivus naturaliter refugit corporis læsionem, et si sit futura est per timorem, sicut si est præsens per tristitiam, et hoc modo ponitur timor in Christo, sicut tristitia: alio modo secundum incertitudinem futuri eventus, sicut quando nocte timemus ex aliquo sonitu, ignorantes quid hoc sit, et hoc modo timor non fuit in Christo, quod etiam affirmavit Damascenus.

In octavo inquit, utrum in Christo fuerit admiratio. Conclusio est bimembris. Quantum ad scientiam experimentalem fuit admiratio in Christo, non vero quantum ad scientiam divinam, beatam, vel infusam. Probatur utraque pars ex eodem principio diversimode applicato, quia admiratio est de aliquo novo,

et insolito; sed secundum scientiam divinam, beatam, et infusam non fuit illi aliquid novum; ergo secundum has scientias non habuit admirationem. Secundum vero experientiam poterat esse aliquid novum, secundum quod quotidie aliqua nova occurrebant, et secundum hoc potuit habere admirationem, sicut quando audiens verba centurionis miratus est, Matthæi viii.

In nono inquit, utrum in Christo fuerit ira. Conclusio est bimembris. In Christo fuit ira secundum ordinem justitiæ, non vero secundum quod est peccatum. Probatur, quia ira est effectus tristitiæ quatenus ex malo illato sibi, vel aliis, aliquis tristatur, et intendit vindictam. Dictum est jam, quod in Christo fuit tristitia: appetitus vindictæ potest esse vel secundum ordinem justitiæ, et hoc est secundum rationem, et sic conjunctus cum tristitia potuit esse in Christo, ideo Joannis secundo dicitur, quod illud Psalmi: *Zelus domus tuæ comedit me*, fuit impletum in Christo, et hoc modo potest esse ira in Christo, non vero secundum quod involvit appetitum vindictæ contra rationem.

In articulo decimo inquit, utrum Christus simul fuerit viator, et comprehensor. Conclusio est affirmativa, quam probat, quia Christus secundum animam habuit beatitudinem, et ex hac parte erat comprehensor. Secundum vero corpus, et secundum quod anima ejus erat passibilis deerat ei ultima felicitas, et beatitudo, et ex hac parte erat viator, quia tendebat in illam; propter quod dicitur Hieremiæ xiv: *Quare colonus futurus est in terra, et quasi viator declinans ad manendum?* Iste articulus ideo adducitur in hac quæstione de defectibus animæ, quia dum quis est viator ex illa parte deficit illa ultima beatitudo ad quam tendit.

QUÆSTIO XVI.

DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM,

QUANTUM AD EA QUÆ CONVENIUNT CHRISTO, SECUNDUM ESSE, ET FIERI.

Postquam D. Thomas in præcedentibus egit de mysterio incarnationis quantum ad substantiam unionis, et aliis ad illam pertinentibus, modo incipit agere de his, quæ consequuntur unionem; et in hac quæstione per duodecim articulos agit de his, quæ consequuntur unionem, quantum ad esse, et fieri, hoc est, de modo loquendi de mysterio, quia ad doctorem catholicum, non solum pertinet scire veritates fidei, sed etiam modum loquendi de illis. Quæ omnia per articulos perstringemus, veritates enim perstringere necesse est; non tamen disputatio in earum examine requiritur, quia ex ipsismet terminis fere constat.

ARTICULUS I.

Utrum hæc sit vera: Deus est homo?

I. Prima conclusio: Supposita veritate mysterii hæc propositio: Deus est homo, est vera, et propria, non solum propter veritatem terminorum; sed etiam propter veritatem prædicationis.

II. Secunda conclusio: Prædicta propositio non est contingens, vel accidentalis, nec in materia remota, sed essentialis, et in materia naturali.

III. Circa primam conclusionem primo notandum est, quod supponitur veritas mysterii contra errores oppositos. Primus error circa prædicatum negavit veram humanitatem, ut Manichæi: secundus negavit

divinitatem naturalem, et substantialem, et solum affirmavit divinitatem per gratiam, deficit ex parte subjecti: tertius deficit ex parte copulæ, ponit etiam Deum, et hominem verum, sed conjunctionem utriusque accidentalem, aut affectivam; sic Nestorius. Veritas autem fidei est, quod est verus Deus, et verus homo, et unio substantialis; et hac veritate supposita hæc propositio: Deus est homo, est vera.

IV. Durandus in iii, dist. iv, quæst. ii inquit, quod hac veritate supposita, quamvis negetur hæc propositio: Deus est homo, non erit error contra fidem; sed solum contra dialecticam, vel grammaticam. Sed in hoc valde erravit Durandus; tum, quia non solum catholicus debet credere interius fidem, sed etiam verbis exterius profiteri, quia

etiam modus loquendi pertinet ad fidem, cum ex verbis inordinate prolatis hæresis incuratur; tum, quia concedendo veritatem, et negando propositionem negat ipsam veritatem in verbis, et quamvis in hoc sit sibi contrarius, licet pro ea parte, qua cedit non deficiat a fide, pro alia parte, qua negat, est hæreticus.

V. Nec tamen Durandus audet negare propositionem; sed concedendo esse veram, inquit esse impropriam, quod aliquibus rationibus intendit probare, quæ non sunt ad intentum, quia solum probant, quod propositio sit accidentalis, vel contingens, et non essentialis, et per se, quod totum non destruit proprietatem prædicationis, quia hæc propositio: Homo est albus, est propria, quamvis accidentalis. At tamen Durandus, quod proprie dicitur Deus humanatus, non Deus homo. Sed hoc clare impugnat in Concilio Francofordiensi in epistola ad episcopos Hispaniæ, ubi dicitur: « Unam Personam esse Deum, et hominem, non hominem deificum, et humanatum Deum, sed Deum hominem, et hominem Deum, » ubi humanatum accipitur in sensu Durandi, scilicet denominativum desumptum a natura humana; licet enim sit sensus catholicus, et veritas fidei, quod Deus est humanatus, hoc est, factus homo, hoc est substantive, et non quasi denominative, sicut S. Thomas articulo tertio sequenti inquit, quod non debet dici: Homo Dominicus. De quo late Vazquez hic disputatione LXIII, capite secundo.

DUBIUM UNICUM.

UTRUM HÆC PROPOSITIO: DEUS EST HOMO, SIT ESSENTIALIS, ET PER SE, ET IN MATERIA NATURALI; VEL ACCIDENTALIS, ET IN MATERIA CONTINGENTI?

VI. Negativam sententiam sequuntur Bonaventura, Scotus, Durandus, et alii, quos refert, et sequitur Suarez hic dubio IV; Vazquez disp. LXVIII, cap. II. Fundamenta hujus sententiæ sunt. Primo, propositio essentialis est illa in qua prædicatum est de essentia subjecti; sed in hac propositione: Deus est homo, prædicatum non est de essentia subjecti; ergo hæc propositio non est essentialis, et per se, sed contingens. Probatur minor; tum, quia prædicatum non est de intellectu subjecti; ergo nec de essentia. Patet consequentia, quia si esset de essentia non posset intelligi sine illo; tum, quia prædicatum non verificatur de omni supposito contento sub subjecto; ergo non est de essentia subjecti. Antecedens patet, quia non verificatur de Patre, vel de Spiritu sancto. Consequentia probatur: Prædicatum, quod est de essentia subjecti debet convenire cuicumque convenit subjectum; tum, quia ut esset propositio per se deberet subjectum supponere determinate pro Filio, sed ly Deus non magis determinatur ad Filium, quam ad Patrem; ergo propositio non est per se. Consequentia est bona; major probatur, quia si non supponit determinate pro Filio, sed vage pro quacumque Persona, erit accidentalis, sicut ista: Animal est homo. Minor probatur, quia nulla particula ponitur determinans subjectum magis ad Filium, quam ad Patrem.

VII. Secundo arguitur: Quando propositio est essentialis, et per se, verificatur cum reduplicatione sub-

jecti supra se; sed hæc propositio: Deus est homo, non verificatur cum reduplicatione subjecti; ergo non est essentialis, et per se. Consequentia est bona, et major certa, ut patet in hac: Homo est animal, quia homo in quantum homo est animal. Minor probatur, quia hæc est falsa: Deus in quantum Deus est homo, quia hæc est falsa: Christus in quantum Deus est homo, sicut ista: Christus in quantum homo est Deus absolute, ut docet S. Thomas in hac quæstione infra, articulo undecimo.

VIII. Tertio arguitur ad probandum, quod non sit in materia naturali, sicut ista: Petrus est homo, quia propositio in materia naturali necessario semper est vera, et non potest esse falsa, sed est æternæ veritatis, sicut ista: Petrus est homo, sed hæc: Deus est homo non est hujusmodi; tum, quia non semper fuit vera, sed ante incarnationem erat falsa, et sic non est æternæ veritatis, et modo potest etiam esse falsa, quia si Verbum dimitteret humanitatem, sicut potest, esset falsa, et sic absolute potest esse falsa: ergo non est in materia naturali, sed contingenti.

IX. Confirmatur, quia illa propositio est in materia naturali, quando prædicatum convenit naturaliter subjecto, hoc est, convenit illi penes exigentiam ortam ex principiis naturæ, ut quamvis Deus nolit, non possit non naturaliter prædicatum exigi a subjecto, sicut in ista: Petrus est homo; sed ista: Deus est homo, non est hujusmodi, quia esse hominem non convenit Deo, nec ratione formæ significatæ, nec ratione suppositi naturaliter, nec exigitur ex principiis naturæ ipsius; sed supernaturaliter ex libera Dei voluntate convenit prædicatum subjecto, et est veritas supernaturalis, sicut in ista: Homo est Deus; ergo non est in materia naturali, sal-

tem sicut ista: Petrus est homo.

X. Prima conclusio: Hæc propositio: Deus est homo est per se essentialis. Hæc est D. Thomæ hic in articulo quem sequuntur omnes ejus discipuli. Pro cujus explicatione notandum est ex Cajetano hic, quod subjectum scilicet Deus, potest dupliciter considerari. Primo, absolute, et in communi, non determinando ad hoc vel illud suppositum: vel potest considerari secundum quod determinatur ad suppositum Filii. Et in primo sensu est propositio accidentalis, sicut ista: Animal est homo, quia accidit respectu suppositi divini in communi hoc vel illud esse hominem. In secundo vero sensu propositio est essentialis, et per se ly Deus determinatur ad Filium Dei. Sed adhuc advertit Cajetanus, quod quia ly Deus significat deitatem, etsi supponat pro Filio, potest fieri comparatio prædicati ad subjectum, vel ratione formæ significatæ, vel ratione suppositi illius, et ratione formæ significatæ propositio est accidentalis: ratione vero suppositi est essentialis, et per se. Sed hoc adhuc intelligitur supposita unione hypostatica, quia sine illa propositio esset per accidens, quia supposito divino, ut divino accidentale est quod sit homo: supposito tamen incarnationis mysterio in quo Verbum unitur humanitati substantialiter, et fit suppositum humanum, propositio est essentialis, et per se rationis.

XI. Si autem consideraretur significatio de ly Deus, et de ly homo non comparative ad unionem, quæ explicatur per copulam est, quando dicitur: Deus est homo, sed sumendo significationem copulæ, quod significet esse, essentielle ut sensus sit, quod est prædicatum essenziale Dei in ipsa natura divina quod sit homo, est propositio falsa, et in materia repugnanti, multo magis, quam